Zu den

öffentlichen Prüfungen

der Schüler

des

Königlichen Gymnasiums zu Kreuznach

am 26., 27. und 29. August

ladet

alle Gönner und Freunde desselben,

insbesondere

die Eltern der Schüler, die Königlichen und Städtischen Behörden, sowie die Herren Geistlichen der Stadt und Umgegend

hochachtungsvoll und ergebenst ein

der Direktor des Gymnasiums

Prof. Dr. Moritz Axt.

Inhalt:

Kreuznach, 1859.

Buchdruckerei von L. A. Pütz.

De
M. Ter. Varronis etymis quibusdam commentatio.



I.

Varro[1]) de ling. lat. libr. VI, 44 sq. haec scribit:

44. Sic reminisci, quom ea quae tenuit mens ac memoria, cogitando repetuntur. Hinc etiam comminisci dictum, a con et mente, quom finguntur, in mente quae non sunt; et ab hoc illud quod dicitur eminisci[2]), quom commentum pronuntiatur. Ab eadem mente meminisse dictum et amens qui a mente sua descendit[3]). 45[4]). Meminisse a memoria, quom quid remansit in mente indeque rursus movetur; quae a manendo[5]) ut manimoria potest esse dicta. Itaque Salii quod cantant, *Mamuri Veturi,* significant veterem memoriam. Ab eodem monere, quod is qui monet, proinde sit ac memoria. Sic monimenta quae in sepulcris; et ideo secundum viam, quo praetereuntes admoneant et se fuisse et illos esse mortalis. Ab eo cetera quae scripta et facta memoriae causa, monimenta dicta.

Varronem in cognatione verborum explicanda non ubique veram etymologices rationem sequi videas. Omnino a stirpe quadam MEN vel, si verbi forma uti velis, a meno ordiendum est. Inde perfectum cum reduplicatione memini et verbum

---

1) Varronem ubique ex editione Car. Odofr. Muelleri citavi. Spengelii editionem mihi non praesto fuisse vehementer doleo. Notas Scaligeri reddidi secundum editionem Bipontinam anni 1788. Festus, Paulus Diaconus, Commentarii in eius excerpta, Jsidorus citantur secundum corpus grammaticorum latinorum veterum a Fr. Lindemanno editum Lipsiae 1831 — 1833. Libellos de Varrone inde ab anno 1826 scriptos optime recensuit vir doctissimus L. Mercklinus in *Philolog.* 1858. p. 684. sqq.

2) Coni. Muellerus. *reminisci* codd. Perperam. Cf. not. Muell.

3) Ex edit. Muelleri; vulgo *discedit,* quod quum magis ex ingenio linguae latinae sit, videtur praeferendum. Descendere enim hac vi, ut nihil aliud quam relinquere significet, nusquam legitur. Saepissime autem codices et aliorum scriptorum variant inter *descendere, discedere, decedere,* et similibus. Cf. Forc. Lex. s. v. *descendo* s. f.

4) Muellerus hanc paragraphum recte hoc loco posuit. Cf. not. a. h. l. et praef. p. IX.

5) Codicem Parisiensem secundum (b) et Rholandellum et Scioppium secutus ita edidit Muellerus; *manando* cett. codd., quod reiiciendum.

inchoativum **miniscor**, cuius composita **reminisci** et **comminisci** et **eminisci**; ab eadem **mens** et **memor**, unde **memoria**, **memorare**, **memoriosus**. Indidem **moneo** i. e. facio ut quis meminerit. Similis enim videtur intercedere ratio[6]) inter memini et moneo atque inter **discere** (**didici**) et **docere** i. e. facere ut quis discat; alterius immediativa, quam dicimus, alterius-causalis est vis. **Manendi** quoque verbum huc referendum.

MEN.) Eandem stirpem in Sanscrita quae dicitur lingua invenimus. Lindemannus II, 2. p. 486 s. v. *mentum* dicit: Sanscrita radix *man*, cogito, subest, unde *manas*, *mens*, *μένος* et alia. — Cf. eundem l. l. p. 483 s. v. *miniscitur*. — Graeca vocabula *μνάομαι*, *μιμνήσκεσθαι* et alia inde declinanda, etiam *μένος* et *μένω* eiusdem sunt originis. Radix illa vim quandam insitam vel ingenii vel corporis videtur significare; lingua latina hanc alteram imprimis, graeca utramque retinuit notionem. Syllabae *men* et *mentum*, quibus plurima a verbis declinata sunt vocabula, ex eadem stirpe natae, e. gr., lenimen est id, cui leniendi vis est innata, monimentum id, cui vis monendi adest. — Doederlinus[7]) a stirpe MEN (*μέμονα* **minnen**) declinat: memini, mens, minari, imminere, Minerva, monere, monstrare, moneta, mostellum, mustricola, munis, amoenus, Camoenae; et a MEN (*μένειν*) manere, moenia, munire, Mummius, municipium. — Conr. Schwenckius p. 396 s. v. *mahnen*[8]), verba germanica *mahnen*, *meinen*, *minnen* cognata censet; praeter latina *mens*, *meminisse*, *memoria*, *monere* et graeca *μένος*, *μνήμη*, *μνεία*, *μιμνήσκεσθαι* affert alia his verbis: „goth. *munan*, denken, meinen, *gamunan*, sich erinnern, *gamunds* Gedächtniß; altnord. *mana* auffordern, ermuntern, *mynd*, Gedächtniß, Bild, *mynda* bilden, *muni* Gemüth, *munir* Fähigkeiten, *munr* Willen, Lust; althd. *manon* mahnen, *var-manen* verachten, *var-mano* Verächter, *munti* Gedächtniß; angelſ. *manian manigian*, *minegian* ermahnen, *monunge*, *mynnung* Ermahnung, *mynd* Gedächtniß, schwed. *mana*, finn. *manaan* ermahnen, engl. *mind* Großmuth, Sinn, Geist." Ibid. de vi stirpis huius communis disputat. Cf. eundem s. v. *meinen*, *minnen*. Cf. Fri. Schmitthennerum[9]) p. 178. s. v. *Mann* et s. v. *mahnen*, *meinen*, *minnen*. — Cf. G. Curtium[10]) p. 275 sqq. rad. 429 *μεν*, *μαν*.

---

[6]) Eadem est inter coniugationes Kal et Piël (Hiphil) in lingua hebraica: *lamad* discere; *limed* docere. Cf. Gesen. gramm hebr. (ed. Roeder 1848) p. 104 sqq. Ewald. gramm. hebr. ed. sec. p. 113. 117.

[7]) Handbuch der lat. Etymologie. Lips. 1841. p. 217 sqq.

[8]) Woerterbuch der deutschen Sprache. Frankf. a/M 1836.

[9]) Kurzes deutsches Woerterbuch. Darmstadt. 1834.

[10]) Grundzuege der griech. Etymologie. I. Leipzig. 1858.

m e n o.) Cf. Ruddimanni institt. grammat. lat. cur. Stallbaum. Lips. 1823. I. p. 268 not. — Cf. Forc. Lex. s. v. *memini*, ubi discrimen inter meminisse, reminisci et recordari paucis indicatur.

m i n i s c o r.) Festus (Paul. Diac.) p. 91: Miniscitur pro reminiscitur antiquitus dicebatur.

m e n s.) Scaliger notat: Ut a γένος gens[11]), a φάρος pars, sic a μένος mens. — Eandem mentis declinationem in Forc. Lex s. h. v. legimus. Omnino minus recte. M e n s a radice illa, unde meminisse cet., pari modo declinata, ut g e n s a g e n o, unde gigno cum reduplicatione E detrito natum est. — Doederlinus l. l. p. 110 m e n t e m contendit esse dichotomicam[12]) intensamque formam graeci vocabuli μάθη, et stirpem graeci μανθάνω. At mentem et μάθην tali modo esse cognata non constat, quamvis origine videantur coniuncta[13]); μανθάνω a stirpe *ΜΑΘ* eodem modo declinatum ac λαγχάνω a *ΛΑΧ*, λαμβάνω a *ΛΑΒ*, λανθάνω a *ΛΑΘ*, in quibus littera *N* epenthetica[14]) sit, ante palatinas χ et γ et labialem β in μ mutata. — Varro qui primitivum esse videatur censere, de m e n t i s declinatione tacet; neque apud Festum neque in Pauli Diac. Excerptis inicitur eius mentio. — M e n t e c a p t u m Festus (P. D.) p. 104 memorat dici, quum mens ex hominis potestate abierit, et eundem d e m e n t e m, quod de sua mente decesserit, et a m e n t e m[15]), quod a mente abierit. — Cf. Fest. p. 174. — A m e n t e etiam m e n d i c u m decli-

---

11) Lindemannus l. l. p. 437. de g e n t i s vocabuli origine contendit: Vox est Sanscrita *dschanas*, ex qua Latini contractiori forma *gens*, ut ex *manas* mens, *dantas* dens, alia. — Cf. eund. p. 469. s. v. *ingens*. — Cf. Curtium l. l. p. 144. rad. 128 γεν.

12) L. l. praef. p. V.: D i c h o t o m i s c h e, t r i c h o t o m i s c h e Form. So unterscheide ich die Nomina der dritten Declination von denen der ersten und zweiten. Demnach heisst mir *arx* die dichotomische Form neben der trichotomischen Form *arca*. Ebenso *vox* neben ἠχή, *termo* neben *terminus*, *imago* und σταγών neben μηχανή und *stagnum*, cett.

13) Cf. Curt. l. l. p. 175. sq.

14) Lingua latina idem N epentheticum habet in pango, pepigi, tango tetigi, frango fregi, pungo pupugi aliisque. — Hebraica quoque lingua quibusdam in formis suffixorum verbi simili ratione *Nun* utitur epenthetico. Cf. Gesen. l. l. p. 115. Ewald. l. l. p. 177 sq. — Cf. graeca πένθος, πάθος; βένθος, βάθος. — Curtio, qui l. l. μα-θ e μαν-θ ortum arbitratur, ita ut radix μαν littera θ aucta sit, non assentior. Et μαν et μαθ mihi dilatatae formae radicis μα videntur. Cf. rad. φα, φεν p. 264. γα, γεν p. 144.

15) Cf. Fest. (P. D.) p. 20: A v i d u s a non videndo propter nimiam cupiditatem appellatur; sicut a m e n s, qui mentem suam non habet.

nasse Verrium refert Festus (P. D.) p. 105.: Mendicum dici Verrius putat a m e n t e eius quem fefellerit fortuna, vel quod precetur quemque, ut vitae suae m e d e a t u r cibo. — Rectam huius vocis originem iam Isidorus Origg. X, 175 tradit: Mendicus dictus, quod m i n u s habet, unde vitam degat[16]. — Idem XI, 1, 13 de mente, cur ita sit vocata, praeter veram impositionem et alteram nimis quaesitam affert, quod e m i n e a t in anima; ibid. uberius explicat, quid intersit inter mentem eiusque synonyma animam, rationem cet. — Saepius dicitur mens animi, cf. Sanctii Minerv. IV, 4, 66 p. 604. — Doederlinus l. l. p. 110 mendicum perperam declinat a *μαδίζειν* i. e. calvum reddere. — Cf. Commentt. in Paul. Diac. Exc. p. 486 s. v. m e n d.. p. 517 s. v. m e n d i c u m.

m e m o r, m e m o r a r e, m e m o r i o s u s.) Doederlinus l. l. p. 110: *memor, memorare,* gedenken, erwähnen. Reduplication von goth. *merjan* verkündigen, M ä h r c h e n, *μαρμαίρειν.* — Nimis quaesite. — Curtius l. l. p. 294. vocabula *memor*, *memoria*, *memorare* cognata esse dicit radici *μερ*, *μαρ*, quae in graecis *μέρμηρα*, *μέριμνα*, *μερμαίρω*, *μερμηρίζω*, *μέρμερα ἔργα*, *μάρτυρ*, *μαρτύριον*, *μαρτύρομαι* sit. Cf. Prolegg. p. 84. sq. p. 89. Sed dissocianda mihi videtur coniunxisse. Vocabula, quibus prima syllaba *μαρ* est, aliunde explicanda puto; ea, quibus *μερ* initio syllaba est, notionem curae et sollicitudinis exhibent, quae in latinis *memor* cet. non inest. Cf. Schol. in Hom. Il. X. 48. *μέρμερα ἔργα*: *μερίμνης καὶ φροντίδος ἄξια· καταστρέφει δὲ εἰς τὸ κακά.* Schol. in Hom. Od. IV, 391. *ὅσσα δὲ μερμήριξε*: *πρὸς τὸ πυκνὸν τῆς μερίμνης ἡ παραβολή.* — Festus (P. D.) p. 93.: *memorare* significat nunc dicere, nunc memoriae mandare. — Minus recte. Memorare complectitur semper notionem memoriae quamvis deminutam, et significat potius referre, quam simpliciter dicere. — Eadem pagina memoriosus a Festo tanquam latinum exhibetur, quod memoriosior, memoriosius et memoriosissime faciat.

m o n e o.) Doederlinus l. l. p. 113. monere a meno (memini) recte declinat; Scaliger prius meneo scriptum fuisse putat. — Non praetermittam, M i n e r v a m auctore Festo p. 91. dictam esse, quod bene m o n e a t. Cui assentitur Scaliger, qui in notis haec dicit: Prius dicebant M e n e r v a, a qua menervare erat monere, ut in saliari carmine promenervat, monet; menere est monere, a quo meniscor ut apo apiscor; composita comminisci, reminisci. — Dacerius Minervam nomen Aegyptium esse censet, ut optime docuerit Stephanus Guichartus in Harmonia etymologica linguarum. Cf. Lindem. l. l. II, 2. p. 483. — Ciceronem de nat. Deor. III. 24., qui Minervam, quia m i n u a t aut quia m i n e t u r, dictam opinatur, secutus est ex parte Cornificius qui eam dictam putat, quod fingatur pingaturque

---

16) Isidorus addit quidem: sive quia mos erat apud antiquos os claudere egeno (al. *egenum;* recte), et manum extendere, quasi m a n u d i c e r e (al. *manum dare,* minus recte). Sed haec declinatio sagacior quam vera.

minitans armis. — Certe autem Minervae nomen obsoleto illi meno cognatum vel potius inde declinandum, id quod vel maxime linguae latinae usus docet. Cf. Doederl. l. l. p. 112.: *Minerva* von *mens* wie *lucerna* von *luce*. Cf. locutiones: *invita Minerva*, *pingui* seu *crassa Minerva aliquid facere*, *omnis Minervae homo*, proverbium illud tritissimum: *sus Minervam*. Cf. voc. *minerval*. Vid. praeterea Isidor. Origg. VIII, 11, 71 sqq. XV, 1, 44. Sanctii Minerv. cap. 1 init.

A monendo[17]), ut Aelius Stilo interpretatur, etiam monstrum dictum est, velut monestrum. Recte. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum et moneat voluntatem deorum. Cf. Fest. (P. D.) p. 98. Ciceroni illud a monstrando placuit declinare de Divin. I, 42 et de nat. Deor. II, 3. Patet vero, monstrandi verbum a substantivo illo esse derivandum. Utramque indicat declinationem Isidorus quoque Origg. XI. 3, 3.: Monstra a monitu dicta quod aliquid significandum demonstrent, sive quod statim monstrent, quid appareat cett. — Doederl. l. l. p. 114: *monstrare* zeigen, Intensiv von *μανθάνειν*. *Monstrum* das Wahrzeichen, Muster. — Cf. Schmitthenn. et Schwenck. s. v. *Muster*. — Monstra quae dicantur v. Fest. (P. D.) p. 104. Isidor. Origg. XI, 3.

monimenta.) Hanc vocem Varro recte ac venustissime a monendo declinavit. Isidorus Origg. XV. 11, 1. recte quidem sed minus eleganter: Monumentum ideo nuncupatur, eo quod mentem moneat ad defuncti memoriam. Quum enim non videris monumentum, illud est, quod scriptum est: *Excidit tanquam mortuus a corde*. Quum autem videris, monet mentem et ad memoriam te reducit, ut mortuum recorderis. Monumenta itaque et memoriae pro mentis admonitione dictae. Cf. Fest. (P. D.) p. 99. Forcell. Lex. s. h. v.

discere — docere.) Varro quidem l. l. VI, 62. haec scribit: Si dico quid inscienti, quod ei quod ignoravit trado, hinc doceo declinatum, vel quod quom docemus, dicimus, vel quod qui docentur, inducantur in id quod docentur ab eo qui scit ducere, qui est dux aut ductor, qui ita inducit, ut doceat. Ab docendo discere, disciplina, literis commutatis paucis. — Itaque quum dubitet, docere a dicendo an a ducendo sit declinandum, id etymon esse discendi haud cunctanter ponit. Scaliger, qui loci huius difficultates emendatione[18]) solvit luculentissima, in notis increpat Varronem, qui ineptissime

---

[17]) Sunt verba Festi p. 168.

[18]) Codices enim et veteres editiones loci initium sic exhibent: *Si dico quid scienti quod det, quod ignoravit trado. Hinc doceo declinatum* cet. Scaliger sensum, quem postulat mens Varronis, spectans hunc in modum correxit: *Si dico nescienti quid, et quod ignoravit trado, hunc doceo. Sic declinatum* cet. Muellerus partim de sua partim de Scaligeri et Scioppii coniectura edidit locum sicut supra legis.

doceo deducat a dico, quum certissimum sit esse a δοκέω, unde δόγματα, decreta doctorum. Idem notat: Δάω, δάσκω, παρέγνωγον; inde disco, a in i, ut χάω hio, χάσκω hisco. — Sed neque doceo a δοκέω esse declinatum videtur, neque disco a δάω, δάσκω. Equidem et *disco*, in quo S adventitium est (simili modo in graeco διδάσκω, quod διδάξω, ἐδιδάχθην format), et *doceo* inde declinatum cognata esse arbitror graeco δέχεσθαι, ita ut discere significet mente aliquid accipere. Cf. Doederl. l. l. p. 55.: *discere* statt DIDICERE, syncopirte Reduplication von δέκομαι. Oder Syncope von διδάσκειν. — Id. p. 66.: *docere* buchst. δοκεῖν, sachl. διδάσκειν, von ion. δέκω, ἀπόδεξις. —

Animadvertas, quum Varro tria verba discere, docere, ducere coniunxerit, germanica *lernen, lehren, leiten* revera inter se esse coniuncta. Schwenck. l. l. p. 378.: lehren unterrichten, eigentlich leiten, führen, auf die Spur führen, goth. *laisjan*, angelſ. *laeran*, ſchwed. *lära*, dän. *lære*, althd. *leren*, von dem verlorenen leiſen, gehen, folgen, woher Leiſe, Geleiſe, die Spur. — Cf. eund. s. v. *lernen*. Cf. Schmitthenn. l. l. s. iisd. vv.

Mamuri veturi.) Cf. notas Scaligeri et Muelleri a. h. l. — Festus p. 96. dicit: Mamurii Veturii nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa. Numa Pompilio regnante e coelo cecidisse fertur ancile, id est scutum breve, quod ideo sic est appellatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque eius latus medio pateret; unaque edita vox omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Itaque facta sunt eiusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci coeleste posset. Probatum est maxime Mamurii Veturii, qui praemii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent.

II.

1. Varro haec profert libr. VI, 66:

Legere dictum quod leguntur ab oculis literae; ideo etiam legati, quod ut publice mittantur leguntur. Item ab legendo leguli qui oleam aut qui uvas legunt; hinc legumina in frugibus variis. Etiam leges quae lectae et ad populum latae, quas observet; hinc legitima. Et collegae qui una lecti; et qui in eorum locum suppositi, sublecti; additi allecti, et collecta quae ex pluribus locis in unum lecta. Ab legendo ligna quoque, quod ea caduca legebantur in agro quibus in focum uterentur. Indidem ab legendo legio et diligens et dilectus.

2. Idem libr. V, 166:

Super lectulis origines quas adverti hae. Lectica, quod legebant unde eam facerent stramenta atque herbam, ut etiam nunc fit in castris. Lecti[19]), quod, ne

[19]) Turnebo, quem secutus est Muellerus, legendum videbatur *Lecti quod*. Codd.: *lecticas*.

essent in terra, sublimis in lignis[20] ponebant, nisi ab eo, quod Graeci antiqui dicebant λέκτρον, lectum potius.

Ab legendo recte declinat Varro maximam vocabulorum partem, quorum declinatio et vis indicat originem, ut legulus, legumina, legio, quibus prima syllaba praeterea brevis est: id quod saepe quidem magnum est eiusdem originis argumentum, cuius rationem Varro nunquam habuit. Verba sublecti, allecti, collecta, diligens, dilectus, iure allata sunt, quae verbi *legere* sunt composita. Veruntamen leges, unde legitima et alia, et collega alia vi a legendo imposita, ut mox sum probaturus; neque obstat, quod prima eorum syllaba est longa: ita enim et a regendo rex regis declinatum. Lignum non a legendo in agris posse fingi, apertum est inde quod permultae in agris legantur fruges, quibus idem nomen multo magis conveniret quam lignis, quae insuper in silvis potius reperiuntur, non in agris; unde proverbium illud notissimum *in silvam ligna ferre*, quod Graecorum *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας*, Germanorum *Wasser in den Rhein tragen* respondet. Lectica autem, ut lectus, a legendo sunt imposita non ea, quae Varroni videbatur, ratione. Legere enim in hac verborum cognatione vim habet germanici *legen*, unde *Lager*, seu *setzen*, unde *Einsatz*, *Aufsatz*, seu *stellen*, unde *Gestell*. Tali modo non solum lex recte a legendo imposita, quae sit iuris publici quasi fundamentum (idcirco apud Germanos Gesetz eadem dicitur notione), sed etiam collega, qui una cum aliis sit iisdem rebus praepositus *(ein Mitsasse)*. Eo libentius ita statuo, quod graecum quoque *λέγειν*, latino legere cognatum, saepius hac vi ponitur. Cf. Hom. Il. XXV, 635: *Λέξον νῦν με τάχιστα, Διοτρεφές, κτλ.* Cf. ib. XIV, 252. Od. IV, 413. 453. V, 487. VII, 346. Cf. Schol. et Intpp.; quare et Buttmannus Lexil. p. 78. al. verbum *λέγειν* duas dicit habere stirpes: *ΛΕΓ* et *ΛΕΧ*.

legere) Eadem est ratio verbi germanici *lesen=sammeln*, et graeci *λέγειν* (*συλλέγειν*, colligere). Cf. Schwenck. et Schmitth. ll. ll. s. v. *lesen*. — Curt. l. l. p. 330. alteri radici *λεγ* vindicat latina vocabula *lego*, *legio*, *delectus*, *lectus*, *legulus*, *legumen*, *lectio*, *lector*, *diligens*, *neglego*, *intelligo*, et graeca *λέγω*, *λεκτός*, *λογάς*, *καταλέγω*, *συλλογή*, *ἐκλογή*, *λόγος*, *λέξις*, *λογίζομαι*. — Cf. Doederl. l. l. p. 217.

legulus) Varro V, 94: Similis causa quae ab scientia vocatur aliqua, ut praestigiator, monitor, nomenclator; sic etiam quae a studio[21] quodam dicuntur, cur-

[20]) Ut etymon vocabuli adesset, Muellerus ita scripsit: Codd: *his* et *iis*. Edit. Bipont.: *Lectos, ne essent in terra, sublimes in heis ponebant.*

[21]) Ex coniectura Scioppii Muellerus ita edidit, qui veram lectionem adhuc latere putat. Codices habent *spatio;* inepte. Legendum censeo: *ab actione quadam*. Cf. V, 11.:

sor, natator, pugil. Etiam in hoc genere quae sunt vocabula, pleraque aperta, ut legulus (et vindemiator), alter ab oleis, alter ab uvis. Haec si minus aperta: vindemiator, vestigiator et venator: tamen inde est vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demunt, vestigiator a vestigiis ferarum quas indagatur, venator a ventu, quod sequitur verbum adventum et inventum[22]). — Muellerus verba uncis inclusa *et vindemiator* sustulit et, qui plura putet deesse, lacunam quamquam in codicibus non significatam indicavit. Quod verba illa sustulit, probandum videtur, quum in iis, quae proxime sequuntur, vindemiator inter verba minus aperta referatur eiusque etymon explicetur. Sed verba *alter ab oleis, alter ab uvis* Varronem et de iis qui oleas et de iis qui uvas legant egisse aperte indicant. Accedit quod vindemiator nisi de uvis colligendis non dicitur, legulus *κατ' ἐξοχήν* est is qui legit oleas. Itaque statuo, hunc quoque locum esse adnumerandum iis, in quibus Varronis *δεύτεραι φροντίδες* sint agnoscendae (Cf. Muelleri praefat. p. VIII. sqq.). Varro in libro scripserat: *legulus et vindemiator, alter ab oleis, alter ab uvis*. Postea, quae sequuntur, margini adscripsit, omisit autem cum iis, quae prius scripserat, committere.

In lingua germanica *Legel* seu *Lägel* significat vas ligneum dolii speciem habens, longius quam latum, ima parte angustius et clausum, summa amplius et apertum, tergo humerisque adaptatum, quo ad uvas colligendas utuntur vindemiatores[23]). Teste Schwenckio l. l. s. h. v. sued. *lägel*, sax. *lächel, legel*, polon. *lagiew*, finn. *lecle* nominatur. Schwenckius quidem et Schmitthennerus ll. ll. germanicae esse originis negant et latinam habere originem dicunt; graece enim *λάγηνος*, latine *lagena, lagenula* dici, quod Germani *Flasche* vocent. Mihi vero, praesertim quum Schwenckius ipse l. l. s. v. *lesen* germanica *legen* et *lesen* communem habere originem haud improbabile esse putet, *Le-*

Quod stat aut agitatur, corpus; ubi agitatur, locus; dum agitatur, tempus; quod est in agitatu, actio. Quadripartitio magis sic apparebit: corpus est cursor, locus stadium qua currit, tempus hora qua currit, actio cursio.

22) Cf. not. Muelleri. — Augustinus: Sunt qui scribendum putent: *Venator a vento, quod sequitur feram ad ventum et in ventum.* Legitur etiam: *Venator a ventu, quod* cet. — Scaliger hanc esse veram lectionem statuit: *Venator a vento, quod sequitur cervum ad ventum.* Loco verborum *et inventum* forsan legendum putat *hinc venatus*. Cf. not. a. h. l. — Cf. not. Popmae, qui nihil affert de vera lectione. — Legendum arbitror: *Venator a venatu, vel quod sequitur cervum ad ventum et in ventum.*

23) Hic saltem in regione Crucenacensi.

gel non adventitium sed germanicae originis vocabulum ducere placet, sicut *Kegel*, *Segel*; alia, ita ut sit vas, quo res colligantur et condantur.

legumina) Varro idem profert etymon de re rust. I, 23, 2.: Neque in pingui terra omnia seruntur recte, neque in macra nihil; rectius enim in tenuiore terra ea quae non multum indigent suco, ut cytisum et legumina, praeter cicer: hoc enim quoque legumen, ut caetera, quae velluntur e terra, non subsecantur: quae quod ita leguntur, legumina dicta. — Ib. 32, 2.: Serendum viciam, lentem, cicerculam, ervilam caeteraque, quae alii legumina, alii (ut Gallicani quidam) legaria appellant, utraque dicta a legendo, quod ea non secantur, sed vellendo leguntur. — Plinius lib. XVIII, 17. priorem Varronis locum fere ad verbum transcripsit. — Isidorus legumina alia de causa a legendo declinata dicit Origg. XVII, 4, 1.: Legumina a legendo dicta, quasi electa. Veteres enim meliora quaeque legebant, sive quod manu legantur, nec lectionem requirant. — Doederlinus nihil certi promens, graeco λάχανον cognatum sit necne, dubitat.

legio) Doederl. l. l. p. 97: *legio* von λοχός der Kriegshaufe. Oder von *legere*, *delectus*. Cf. Schwenk. p. 377. s. h. v.

lex, legis) Neque Festus neque Paulus Diac. de etymo quicquam attulit; Cicero de Legg. I, 6 a legendo i. e. deligendo declinat; Isidorus Origg. V, 3, 2. a legendo (Cf. usum verbi *legere* in Nov. Test. Luc. 10, 26. — Matth. 12, 3. 5. — 19, 4. — 21, 16. 42. — 22, 31. — 24, 15. etc. etc.) vocatam dicit, quia scripta sit. Forcellini in Lex. s. h. v. fortasse rectius quem putat ducere a λέγειν i. e. dicere, iubere, quum et vocabula *dictator edictum* a dicendo declinata iubendi habeant et imperandi vim. Alii a ligando[24]). Denique Ernestius clav. Cic. p. 1. sq. legem proprie nihil aliud contendit esse nisi *formulam quandam verborum* a graeco λέγειν (i. e. dicere vi primitiva), idque pluribus evincere studuit exemplis. Verumtamen, ut de hac legis declinatione agere incipiam, quum omnis elocutio esse non possit sine formula quadam verborum, tum leges imprimis, ex quibus, quid iustum, quid faciendum, quid omittendum sit, intelligatur, etiam formulas exprimant brevissimas et certissimas necesse est, quibus iuris norma contineatur. Quum lex fertur ad populum, certe nondum iussa est; sed hoc ad impositionem verbi nihil valet. Eodem modo in nostra civitate, quum, quibus suprema regni rerum cura credita est, legem ferunt ad collegium virorum suffragiis populi delectorum, utimur locutione *ein Gesetz einbringen*, quamvis legi illi vis legitima nondum adsit. Non magis placet legem a λέγειν i. e. iubere declinatam esse. Etsi latinum *legere* graeco λέγειν constat esse cognatum, tamen a graeco vocabulo declinatio tum demum mihi videtur requirenda, quum a vi latini vocabuli nulla

---

24) Teste Ernest. clav. Cic. p. 1.

exstat. Lex autem a legendo vi illa, quam ante notavi, optime declinatur. Est θέσις quaedam, et Isidorus eam Origg. V, 3, 2 constitutionem scriptam recte appellat. Cf. graeca θέμις et νόμον τιθέναι[25]); latinum *ius instituere*. — Cf. Varr. V, 165. — Cf. Schwenck. l. l. s. v. *Gesetz* et *Gelag* (*Gelag*, *Lag* = *Gesetz*). — Curtius quoque l. l. p. 331 haec dicit: Wie man aus dieser Grundbedeutung (λέγειν = legere = auflesen) den Begriff von *lex* ableiten will, sehe ich nicht, denn was Mommsen Röm. Gesch. 73 Anm. sagt, „eigentlich der Spruch (von λέγειν sprechen)" stimmt weder zum lateinischen, noch zum ältesten griechischen Gebrauche der W. Also entweder heisst *lex* die Lesung, und das Wort entstand in einer Zeit schriftlicher Abfassung, oder es ist gar nicht mit dieser W. verwandt, wie denn Lottner's Zusammenstellung (Zeitschr. VII, 167) mit dem gleichbedeutenden altn. *lög* = engl. *law* und seine Herleitung dieser Woerter von der W. λεχ (No. 173.) alle Beachtung verdient. — Doederl. originem a graeco λέγειν tuetur[26]).

lignum.) Isidorus Origg. XVII, 6, 25 alterum laudat etymon: Ligna dicta, quia accensa[27]) convertuntur in lumen. Unde ellychnium[28]) dicitur quod lumen det. — Ib. 7, 65: Lyciniae[29]) eo quod optimum dent lumen[30]). Nam λυχνός lumen est. Unde et lignum nomen sumpsit[31]), quia aptum est flammis et luminibus. — Sed ligni a lucendo origo valde dubitanda. Haud magis probanda mihi videtur origo a ligando aut a graeco λιγνύς i. e. fumus, quam utramque Forcellini in Lex. s. h. v. commemorat. — Scaliger in notis Varroni assentitur haec disputans: *Lignum* a lego, ut a tego tignum, rego regnum, μέγας magnus, στέγω στέγνον, στίζω signum amisso τ, παχύς pinguis, λείχω lingue et lingua, ἔχις anguis, δασύς densus. — Declinatio autem a legendo i. e. a colligendo aeque mihi videtur reiicienda (cf. quae ante ea de re disputavi) ac si quis germanicum *Holz* a *holen* velit declinare. Quodsi lignum a legendo impositum est, nulla alia vi inde ducendum arbitror quam vi germanici *liegen*, ut sit proprie arbor non viva sed caesa, stipes vel ramus iacens. Cf. Hor. Carm. II, 13, 11: Te triste lignum, te caducum in domini caput immerentis. — Doederlinus minus originem quam cognationem sequens dicit l. l.: *lignum* — Paronymum von λοχμή, und verwandt mit *lucus* Lohe, *sublicia* und *delicia*, ein Dachbalken. — Curtius l. l. p. 331 de declinatione, quam proposuit Scaliger, haec iudicat: .... *lignum*, das danach eigentlich Reisig bedeutet haben würde, eine Etymologie, die von Seiten der Bedeutung gleiche, von Seiten der Laute grössere Wahrscheinlichkeit hat als die von skt. W. *dah* brennen (Bopp Gl. Pott I, 282), denn li-

---

25) Ammonius: τίθησι τὸν νόμον ὁ νομοθέτης, τίθενται δὲ τὸν νόμον οἱ δοκιμάζοντες καὶ αἱρούμενοι.

26) l. l. *lex* von λέγειν wie ῥήτρα von ῥητός.

27) *incensa* vulg. 28) *unde et licinium* vulg. 29) *Lychniae* al.

30) *lucem* al. 31) *accepit* vulg.

gnum; leg hom, lignum: leg. — Consideres autem, germanica *Reisig* deesse vim colligendi, quod a *Reis* sit declinatum, cui vis surgendi, emicandi, germinandi inest. Cf. Schwenck. l. l. s. v. *Reis*, ubi latinum *surculus* simili modo a *surgo* ductum esse dicit.

lectus, lectica.) Varronem ex parte sequitur Festus (P. D.) p. 85, qui lectum dictum memorat vel a collectis foliis ad cubitandum, vel quod fatigatos ad se alliciat, vel a graeco λέκτρον. — Isidor. Origg. XX, 11, 1: Lecticae a lectis herbis vocatae. — Scaliger, quem Dacerius hoc loco, ut saepius alibi, nomine eius omisso paene ad verbum transcripsit, ad locum Varr. annotat, lecticas militares dictas esse cubas Sabina lingua, graece χαμευνάδας, a Platone in Symposio χαμεύνια, στιβάδας ab Aristophane et aliis vocari. — Cf. Fest. (P. D.) s. v. *cumba*. — Rectam lecti (et lecticae) a legendo impositionem Lindemannum video perspexisse, qui in Commentt. in Paul. Diac. Excerptt. p. 470. haec profert: Descendit lecti vox a communi indogermanicis sermonibus radice *leg* quae iacere, prosternere significat. Unde Graecorum λέγω, quod superest in ταναλεγής, λέχος, λέκτρον; Germanorum *legen*, *liegen*, *lager*, *lage*; Angl. *to lay*, Batav. *leggen* cet. — Consentit Schwenck. l. l. s. v. *legen* cet. — Item Doederl. l. l.: *lectus* — Schlecht der Flussdamm, Verbale von legen, Paronymum von λέχος, Lager. — Denique Curtius l. l. p. 162 a radice λεχ, unde graeca λέχος λέκτρον ἄλοχος λεχώ λοχεία λόχος λόχμη, *lectum* et *lecticam* recte declinat.

8. Lib. V, 14 sq. de loci vocabulo Varro dicit:

14. Incipiam de locis ab ipsius loci origine. Locus est, ubi locatum quid esse potest[32]. Ut nunc dicunt conlocatum, veteres id dicere solitos, apparet; apud Plautum[33]:

> Filiam habeo grandem cassam dote atque inlocabilem,
> Neque eam queo locare quoiquam;

apud Ennium[34]:

> O terra Threca[35], ubi Liberi fanum in civium
> Moero[36] locavi.

---

[32]) Recte hoc loco posuit punctum Muellerus; vulg. post *conlocatum*.

[33]) Aulul. II, 2, 14.

[34]) Locus corruptus et emendatu difficillimus, quum de quo et quis loquatur et in qua fabula, ignoretur. Popma et Scaliger variis studuerunt modis loco mederi; cf. not. eor. — Muellerus codicum, quantum potuit, lectionem retinuit.

[35]) Muell. e coni. edidit. *treca trecha teca trita* codd. Cf. not. Muell.

[36]) *muro*, *maro* al.

15. Ubi quidque[37]) constitit, locus; ab eo praeco dicitur l o c a r e, quod usque id emit, quoad in aliquo consistit pretium; inde l o c a r i u m, quod datur, in stabulo et taberna ubi consistunt. —

Primo de mendis huius loci, quae in paragrapho quinta decima versantur, deinde de etymo quod Varro proposuit agam. Vulgaris in illa paragrapho est lectio: *Ab eo praeco dicitur locare, quoad usque id emitur, quoad in aliquo consistit pretium.* — Quam iure reiiciens Scaliger haec dicit: Legendum procul dubio: *quod usque idem it, quoad in aliquo consistit pretium.* Et, nisi valde fallor, memini olim quoque ita sensisse doctiss. Adr. Turnebum, cum haec cum illo communicarem. *Idem usque it* ergo dictum vel de praecone, qui semper vagatur, donec invenerit, in quo consistat, pretium, vel de merce, quae semper *ἐπιπολάζει*, et incerta est, donec in eo mancupe consistit, qui auctionem evicerit. Quo in significatu Plautus dicit, *It ad me lucrum*: nimirum ut in eo consistat et quiescat. — Muellerus lectionem, quam imprimi iussit, hunc in modum interpretatur: Praeco cum opus aliquod locat, id a conductoribus emere dici potest, quod opus praestandum certa pecunia soluta reipublicae acquirit. In hoc emendi negotio eo usque procedit, dum pretium certo loco consistit. Ita ut locum explicarem, suasit G o e s c h e n i u s. — Utramque et Scaligeri et Muelleri lectionem quamvis subtiliter expositam non probo. Vim eam, quam Goeschenius verbo *emere* h. l. imposuit vel potius obtrusit, nimis esse contortam et latino alienam sermoni facile intelligitur. *Pretium consistit in aliquo* i. e. non amplius movetur vel augetur ab altero, nemo est qui plus liceatur: haec locutio mere latina est. Cf. Cic. pro Rosc. Amer. 52: In quo (Roscio) non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere. Sed, quod vel praeco vel merx usque eat, quoad p r e t i u m in aliquo c o n s i s t a t, ideo p r a e c o n e m dici locare ineptum mihi videtur. Quare Varronem censeo scripsisse aut: *Ab eo p r e t i u m*[38]) *dicitur l o c a r i, quod usque idem it, quoad in aliquo consistit; pretium inde locarium* cet., aut, si locandi verbum de praecone dictum a loco voluit declinari: *Ab eo praeco dicitur locare, quod is, quoad emtum vocat, in a l t o l o c o consistit; pretium inde locarium* cet. Scio quidem locandi verbum vi transitiva, quam dicimus, semper poni. Quum vero locare a loco, ubi quis vel quid constiterit, declinari Varronis maxime interesset, facile, qui ita statueret, adduci poterat.

---

37) *quisque, quicquam, quiquam, quidquam* al.

38) *praeco* et *preciom* facillime poterant confundi. *Pretium locatur* alias quidem non legitur, tamen a consuetudine sermonis latini non abhorret. Cf. Quint. 12, 7 f. Alicui pretium imponere. — Plaut. Mil. 3, 1, 133. pretium statuere merci. — Cic. Att. 12, 33. pretium certum constituere.

Varronis verba de loci origine quicquam continere prorsus negabis. Locus autem declinandum a verbo legendi vi illa, quam in vocabulis *lectus* et *lectica* habet, ita ut sit germanicum *Stelle*, *Lager*, *Sitz*. Idem sentit Scaliger haec annotans: Locus λέχω iaceo, antiquum: unde λέλοχα, λόχος, ubi quis situs est. — Cf. Doederl. l. l. s. v. *locus*. — In Forcell. Lex. s. h. v. haec leguntur: Est a λόχος, locus insidiis aptus, quod a λέχω pro λέγω, unde λέγομαι, cubo; Romani vero dempta, ut saepissime alias, aspiratione, situm seu positionem quamlibet *locum* dixerunt; constat enim, eos, utpote qui rem militarem apprime coluerint, ex militia plurimas hausisse voces, quas in communi linguae usu postea usurparunt. — Errat autem, qui locum a λόχος declinet et vocem censeat ex militia haustam; genuina, cognata quidem sermoni graeco est vocabuli origo, et omnino ὀνοματοποιΐα militaris ex vulgari nata est vocabulorum notione. Λόχος est Latinorum *insidiae*, quod simili modo a sedendo est declinatum. — Festus p. 248. s. v. *stlata*[39]) refert antiquos *stloco* pro *loco* dixisse, ea consuetudine, qua *stlitem* pro *litem* dixerint, sicut *stlata*, genus navigii latum magis quam altum, appellatum sit a latitudine. — Lindemannus in Commentt. p. 682. s. v. *stlembus* inter alia dicit: Tum *stlocus* haud dubie cohaeret cum Germanorum vocabulo *strecken*, *strekken*, *rekken*, quod Graecis fortasse olim στλέγω sonabat, unde superest λέγω i. q. *sterno*, Latinis *stlego*, *lego*, quod superest in *lectus*, i. e. λέκτρον, λέχος, unde *longus* i. e. extensus, et *locus*, spacium, ubi quid extenditur, ipsa extensio .... Ex quibus omnibus abunde patet, vocabula *stlata*, *stlis*, *stlocus*, communem fontem habere in Sanscrita radice *stri*, sterno, dissipo. — Sed neque opus est origine *loci* tam longe petita, et *lego* sine dubio prius est quam *stlego*, quod omnino exstitisse nego. Omnis enim linguae origo est a vocibus simplicibus; praeterea vis loci alia est atque vocabuli germanici *Strecke*: alterum situm potius, alterum spatium quoddam significat.

III.

1. Lib. VI, 52 sqq. haec leguntur:

52. Fatur is qui primum homo significabilem ore mittit vocem. Ab eo ante quam ita faciant, pueri dicuntur infantes; quom id faciant, iam fari, quod vocabulum a similitudine vocis pueri, id dictum[40]). Ab hoc tempore, quod tum pueris constitu-

---

[39]) Cf. Paul. Diac. p. 144 s. h. v.

[40]) Codd. *ac fatuus fari id dictum*. Muellerus autem, quum de vocabulo *fatuus* Varro §. 55. loquatur, unde id hoc loco a quodam margini adscriptum irrepsisse videatur, vocabula *ac fatuus* cum sequente *fari* iure omisit. Cf. not.

ant Parcae fando, dictum fatum et fatales. Ad hanc eandem vocem qui facile fantur, facundi dicti, et qui futura praedivinando soleant fari, fatidici dicti; idem vaticinari, quod vesana mente faciunt. Sed de hoc post erit usurpandum, quom de poetis dicimus. 53. Hinc fasti dies quibus verba certa legitima sine piaculo praetoribus licet fari. Ab hoc nefasti quibus diebus ea fari ius non est et si fati sunt, piaculum faciunt. Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum caelestium extra urbem agris sunt effati ubi esset; hinc effari templa dicuntur ab auguribus; affantur qui in his fines sunt. 54. Hinc fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sint finem, hinc profanum est quod ante fanum coniunctum fano, hinc profanatum[41]) in sacrificio . . ut, quom profanatum dicitur, id est proinde ut sit fani factum. . . 55. Ab eodem verbo fari fabulae, ut tragoediae et comoediae, dictae. Hinc fassi ac confessi, qui fati id quod ab his quaesitum. Hinc professi; hinc fama et famosi. Ab eodem falli, sed et falsum et fallacia, quae propterea, quod fando quem decipit, ac contra quam dixit, faciat. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine fallacia, sed tralatitio, ut a pede nostro pes lecti ac betae. Hinc etiam famigerabile et sic compositicia alia item, ut declinata multa, in quo et fatuus et Fatuae[42]).

A fando recte repetit Varro infantes, facundus, fabulae, fama, unde famosus, famigerabilis, alia. Ad hanc eandem vocem iure refert etiam effari, quia apertum est illius esse composita. Nec dubium, quin fatum quoque a fando sit appellatum; impositio autem vocabuli non de Varronis sententia explicanda. Fatum enim principio idem potius valet atque oraculum, ab orando declinatum, cuius vis primitiva eadem est; hinc fatidicus is, qui fata dicit, non propter eam, quae Varroni videtur, causam. Dies fasti et nefasti ita sunt nominati a verbo fas, quod verbo fandi est cognatum, atque dies fastus est is, quo fas est praetori ius dicere, nefastus, quo ei fas non est. Fani impositio illa, quae nimis esset fortuita, paene ridicula est. Quodsi fanum a fando denominatum, eum potius significat locum, ubi fantur[43]), i. e. fatum sive oraculum editur. Verba fateri et fatuus, quamvis prima eorum syllaba sit brevis, indidem esse declinata videtur negari non posse. At permirum, Varronem a fando ducere

---

41) *quod (quid) in sacrificio* codd. Illud *quod* omisit Muellerus; haud necessario.

42) Codd.: *fatue*. Illud ponendum esse, vidit cod. B. scriptor, teste Muellero, cuius not. a. h. l. vid.

43) Cf. Ascon. in Verr. II, 1, 20.: Fanum, religiosissimum templum, unde fata petuntur. — *Fari* interdum vim graeci *προφητεύειν* habere, docet Scaliger in annotatione a. v. *fatidicus*.

originem verborum *fallere, falsus, fallacia*; quum nemo non videat, verbum *fallere* duplicem *falsus, fallacia*, aliis primitivum esse et cognatum graeco *σφάλλειν* atque germanico *falsch*.

fari) Doederlinus l. l. p. 215 a radice FAN (*φάναι, φωνός Rothe*) declinat vocabula *fari fatum fas Fatua Faunus fatari infitiae praefiscinia.* — Curtius, qui de graecorum vocabulorum etymologia accuratissime ac copiosissime l. l. egit, p. 261 rad. *φα* haec ponit: *φη-μί, φά-σκω* sage, *φά-τι-ς, φή-μη* Sage, *φω-νή* Stimme. St. *φαν* scheinen, *φα-νε-ρός* hell, *φα-νή* Fackel, *φά-σι-ς, φάσ-μα* Erscheinung. — St. *φαF* *φά-ε* (Hom.) erschien, *πολυ-φαυσσ-ής* Schimmer, Lichtung, *φά-ος, φαῦ-σις, φῶς* (*φω-τ*) *φέγγ-ος* Licht, *φαέ-θω* leuchte, *φαί-νω, φαίν-ω* zeige (Med. scheine), *φαει-νό-ς*, (aeol. *φαεννό-ς*) glänzend, *φαό-ς* hell, Licht, Fackel, *πι-φαύ-σκ-ω* zeige, zeigen. — Ex lingua Sanscrita idem l. l. affert: Skt. W. *bhâ, bhâ-mi splendeo, bhâ-ma-s, bhâ-nu-s lumen, bhâs, bhas splendere, bhâsh loqui, bhan loqui, bhan-a-ti* (Ved.) *laudat.* — Ibid. latina: *fâ-ri, fâ-ma, fâ-tum, fâ-s, fâ-bu-la, fa-t-eo-r.* — *fa-c-s*[44]), *fa-c-ie-s, fa-cê-tus.* — *fav-illa.* — Cf. Prolegg. p. 51. 56. — P. 263 dicit: Was die Bedeutungen betrifft, so beweisen die skt. Wörter, dass hier leuchten und sprechen ursprünglich eins waren, und dass sich die Differenz zwischen beiden erst allmählich und ohne an bestimmte Secundärlaute gebunden zu sein entwickelte. — Graeca vocabula *φάος φάσις* cett. idem docent. Cf. lat. *luceo loqui*, gr. *λάω λαλέω*.

infans) Schwenckio l. l. s. v. *Fant* verisimile esse videtur hoc vocabulum per aphaeresin e latino *infans* esse natum sicut *Vogt* ex *advocatus*, *Spital* ex *hospitale*.

facundus) Isidor. Origg. X, 95. facundus dictus, quod facile potest fari. — Lindemannus (Comment. p. 581 s. v. *praefica*) verbis *facundus Fecialis vates vox convicium* omnibus subesse contendit radicem Sanscritam *vatsch*, dicere, loqui[45]; ipsumque vocabulum Lat. *vox* nihil esse aliud nisi Indicum *vatsch*, cui rationi magnopere faveat, quod Aper de verb. dub. p. 2250 ap. Putsch. testatum reliquerit: *Vates, quos olim vacios appellabant*; ergo intelligi, in his vocibus procudendis eandem normam demutatorum vocalium valuisse, quam saepe animadvertamus, *a, e, i, o* in *vatsch vates Fecialis convicium vox* cett. Errat autem vir doctissimus, qui communem tribuat originem vocabulis illis, *vox* saltem a stirpe in litteram palatinam terminante ducendum, cui

44) Doederl. l. l.: *facere* machen — von *φέγγειν* glaenzen, wie *fax*. Verw. mit *φάος*, *φαίνω* und *φαύειν*: *ποιεῖν* Hes.

45) Alia radix esse videtur atque *bhâsh* a Curtio allata.

graecum *ἠχώ*[46]) cognatum est; facundus a fando declinandum, c additum[47]) ut in voc. *iracundus*; de vocabulo vatis mox disputabo. Etenim Varro VII, 36 antiquos poetas vates appellatos existimat a versibus viendis (*vagiendis* conj. Scaliger), neque eleganter, neque iusta de causa. Cf. not. Muell.). Certe nimis subtiliter. Sunt praeterea qui a graeco *φημί* sic vocitatos putent. Tunc vero *fates*, non *vates* essent nominati, quum v initio verborum latinorum graecis cognatorum aut litterae β, ut *βούλομαι volo*, aut spiritui et aspero et leni, ut *ἕσπερος vesper*, *οἶνος vinum*, congruere soleat. Varroni placuisse, vates et a vi mentis esse appellatos, Isidorus[48]) Origg. VIII, 7, 3 docet. Talem autem originem quae minime secundum leges etymologiae sit, plane reiiciendam arbitror. Idem iudico de Doederlini etymo, qui l. l. p. 202 *vatem* dicit per syncopen esse fictum ex graeco *ἠχέτης* et stirpem germanici vocabuli *Wachtel*. Mihi *vates* videtur cognatum graeco *ᾄδω* (*ἀείδω*). Simili modo in lingua germanica voc. *der Saenger* de poeta usurpatur.

fabula.) Cf. Isidor. Origg. I, 30. — Inde germanicum *Fabel*; cf. Schwenck. et Schmitth. ll. ll.

fama.) Festus (P. D.) p. 65.: fama a fando dicta, sic apud Graecos *φήμη ἀπὸ τῆς φάσεως*.

fatum.) Isidor. Origg. VIII, 11, 90.: Fatum dicunt esse, quicquid dii fantur, quicquid Iupiter fatur; a fando igitur fatum dicunt, id est a loquendo. — De fato, quid sit apud Vergilium potissimum, egregie disputat R. Dietsch in libello scholastico, quo illustris apud Grimam Moldani memoria anniversaria indicatur, Grimae 1853, p. 11 sqq. — Oraculum ab orando esse declinandum auctor est Cicero Top. 20: Oracula ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio. — Idem Catil. III, 4, 9 Sibyllae oracula *fata Sibyllina* nominat. — Ab orando etiam oratio, orator, alia ducunt originem, in quibus orare vim primitivam dicendi retinuit. Cf. Varr. VI, 76. VII, 41.

---

46) Doederl. l. l.: *vox* die Stimme — dichotom. Form von *ἠχή*, *ἀχά*, mithin verw. mit *vacca*.

47) Saepe *κ* esse additum radicibus et graecis et latinis Curtius quum alias tum l. l. p. 51 sq. copiose exponit; ibid. de *κ* in Perf. Act. verborum graecorum agit. Accessorium vocat l. l. p. 263.

48) Inter alios etiam locum, ubi Varro de *vaticinari* loquitur, videtur spectasse. Haec enim dicit: Vates a vi mentis appellatos Varro est auctor, vel a viendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis; et proinde poetae Latine vates olim, et scripta eorum vaticinia dicebantur, quod vi quadam et quasi vesania in scribendo commoverentur, vel quod modis verba connecterent, viere antiquis pro vincire ponentibus, etiam per furorem.

fas, fastus, nefastus.) Varro sibi constat in impositione vocabulorum illorum l. VI, 29: dies fasti per quos praetoribus omnia verba sine piaculo licet fari. — Ib. 30.: Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari praetorem: *do*, *dico*, *addico*, itaque non potest agi; necesse enim aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. — Cf. Ovid. Fast. I, 47.: Ille nefastus erit per quem tria verba silentur; Fastus erit per quem lege licebit agi. — Cf. Festum p. 66 s. vv. *fastorum libri* et *fascinum*; p. 70 s. v. *fastis diebus*. — Cf. Interprett. p. 426. 428. 486. — Lindemannus l. l. p. 427. *fastos* et *festos* dies derivandos dicit a Sanscrito *bhas*, Graecorum φάος, quae *lucem* denotent. Addit vero, probe tenendum esse, fieri posse, ut quemadmodum φάω, luceo, et φάω φημί dico, apud Graecos fuerint communia, significatione tamen diversa; ita Latinorum *fastus* et *festus* potuisse forma quidem communia, re esse diversa: ita ut *festus*, quod probabile sit, etiam *fastus* prolatum esse, *lucidum* significare possit, φαιστόν; contra *fastus* φαστόν quod dici, vel ubi dici possit. Sanscrita autem origo si recta est[49]), vocabulo *festus* nisi vim *lucidi* proprie non inesse arguit, quam nusquam habet; praeterea festum etiam fastum prolatum esse, nullis probari potest documentis. — Doederl. l. l.: *fas* recht und ziemlich — dichot. Form von φατόν.

fanum.) Varronis etymologiam probat Festus (P. D.) p. 70: *Fana*, quod fando consecrantur. — Id. p. 66: *Fanum* a Fauno dictum, sive a fando, quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur. — Cf. Commentt. p. 427, ubi Dacerius maxime placere sibi dicit sententiam Vossii, qui putet fanum esse eo, quod id Graeci similiter ναόν vocent; nempe per transpositionem fuisse ἀνόν, sed spiritum abire saepius in *f*; ergo ex obliquo ἀνόν fanum. Sed quum cuiuslibet verbi declinatio quo simplicior sit, eo magis legibus linguae conveniat ceterisque omnibus haud dubie sit anteponenda, assentiri non possum. Eadem de causa non probo, quae Lindemannus l. l. de Sanscrita fani origine disputat his verbis: *Fanum* a Sanscrita voce *bhanus*, quae splendorem, lumen, maxime lumen solis, ipsumque solem significat; est igitur fanum τὸ φανόν, i. q. lucus, proprie locus lucidus, h. e. sacer locus, sacellum; ut enim *lucus* a lucendo, sic fanum a φάω, *bhas*, *bhanus*. Secundum hanc etymologiam fanum esset hebr. *meor*, germ. *Lichtort*, quae vis fano de usu loquendi minime adest, quamvis fortasse qui hodie dicuntur lucis

---

49) Curtius non assentitur, sed l. l. p. 220 sq. latina vocabula *festus*, *festum*, *festivus*, *feriae* radici graecae ϑες cognata arbitratur, quae sit in graecis ϑεσσάμενοι i. e. αἰτησάμενοι (Archil. fr. 10 B.), ϑέσσεσϑαι i. e. αἰτεῖν, ἱκετεύειν (Hesych.), πολύϑεστος multum exoratus, Θέστωρ n. pr. Latinum f quum vice graeci ϑ saepe fungatur (cf. l. l. radd. 319, 320, 314, 316, 145) cognationem illam manifestam habet. — Doederl. l. l.: *festus* festlich — ἀσπαστός.

amici applaudant[50]). Doederlini, qui germanicum Bahn, ein geebneter Platz, vel idem vel cognatum putat, sententia haud magis mihi placet, nam sic voc. *Bahn* plane alia est. Cf. Schwenck. l. l. s. v. *Bahn*. — De *luci* etymo cf. Sanct. Minerv. IV, 16. p. 846 sq. et Interpp. — Fani latinam a fando originem colligas etiam de loco Livii X, 37, Inque ea pugna Iovis Statoria aedem votam, ut Romulus ante voverat: sed fanum tantum, id est locus templo affatus, sacratus fuerat. Cf. Interpp. — Fani a Fauno originem, quae falsa est, tuetur Isidorus quoque Origg. XV, 4, 8. — De fani religione, quae templis maior fuerit, cf. Popm. de different. verb. s. h. v.

fallere.) A fando illud ducere originem confirmat Isidor. Origg. X, 105: Fallax, quod fando[51]) id est loquendo decipiat. — Perperam, ut ante dixi. Cf. not. Scaliger. a. h. l. Cf. Schwenck. l. l. s. v. *fallen*[52]). — Doederl. l. l.: *fallere* täuschen = *σφάλλειν*, wovon auch *φηλός* und *ἀφελής*, verw. mit *πλάζειν* irre machen, fallen. *fallax* trügerisch — davon falsch entlehnt. — Cf. Curt. l. l. p. 340 sq.: W. *σφαλ* *σφάλλω* (*ἔσφηλα*), mache wanken, bringe zu Fall, *σφάλμα* Fehltritt, *ἀσφαλής* fest, sicher, *σφαλερός* unsicher. Lat. *fallo*, *falsus*, *falla*, *fallax*, *fallacia*. — Germanicum *falsch* ortum esse e latino vel *fallax* vel *falsus*, ut volunt Schwenckius et Schmitthennerus ll. ll., nego. Verba *fallen* et *falzen*, verbo *fallen* cognata, aperte mihi videntur indicare *falsch* esse genuinum linguae germanicae voc. et significare *obliquum*, *flexuosum*, *falsum*, quod recto sit oppositum.

fatuus.) Schwenckius l. l. p. 187 dicit, non sine veri similitudine quadam voc. germanicum *die Fee*, numen quoddam divinum, inde declinari.

2. Libr. VII, 36:

Versibus quos olim Fauni vatesque canebant.

Fauni dei latinorum, ita ut Faunus et Fauna sit: hos versibus, quos vocant Satur-

~~fanum a φάω, bha~~

[50]) Quae h. l. et alibi (cf. not. ad voc. *fas*) de Sanscrita voce *bhas* protulit vir doctiss., plane evincunt, illam cum graeco *φάω* *φαίνω* communem habere originem. Cf Curt. l. l.

[51]) Unus tantum Cod. habet *favendo*, quod quum sequentibus minus conveniat, reiiciendum.

[52]) Discrepat Schmitthennerus l. l. p. 79: Fallen ist f. (i. e. forma) = griech. *πέλω*, latein. pelli. Zu derselben W. gehört fehlen, ahd. velahan, welches transitiv von forttreiben, impellere, befehlen gebraucht wird. Auch griech. *πόλεμος*, d. volh gehören zu dieser W. Quae mihi non verisimilia videntur, quia *fallen* motum quendam *εἰς τὸ κάτω*, *pellere εἰς τὸ πρόσω* significat. Cf. Schwenck. l. l. s. v. *fehlen*.

nios, in silvestribus locis traditum est solitos fari futura, a quo fando Faunos dictos[53]).

Plerique Varronem sequentes idem probant etymon. Isidor. Origg. VIII, 11, 86: Fauni a fando, ἀπὸ τῆς φωνῆς dicti, quod voce, non signis ostendere viderentur futura. In lucis enim consulebantur a paganis, et responsa illis non signis, sed vocibus dabant. — Servius ad Virg. Aen. VII, 47: Quidam Deus est Fatuellus; huius uxor est Fatua; iidem sunt Faunus et Fauna cet. — Doederl. l. l. p. 63: *Faunus* — von *fari*, *πιφαύσκειν*, als weissagender Gott. — Cf. Forcell. Lex. s. v. *faunus* et *fauna*. — Quum vero faunus priscum sit nomen, quod ad antiquam Latinorum mythologiam pertinet, originem eius vetustate obrutam nemo facile eruet et tam certe indicabit, ut nullus omnino dubitationibus relinquatur locus. Quodsi analogiam sequeris (*cautus* a *cavendo*, *lautus* a *lavando*, *faustus* a *favendo*), faunos a favendo[54]) potius dictos statues, ut sint dii propitii, *εὐμενεῖς* (Fest. p. 66. s. v. *Faventia*: favere enim est bona fari). Cf. Lindem. Commentt. p. 427 s. v. *fanum* s. f. — At quibus imprimis agrorum cultura esset curae, et qui in agris silvisque habitarent summoque colerentur studio, Faunorum nomen graeco *Πάν*, qui idem est deus silvarum agrorumque, unde *Νόμιος* pastor et *Ἀγρεύς* venator ei sunt cognomina, cognatum esse potest; *π* in *f* mutatum, ut *πλέκω* *flecto*, *πείθεσθαι* *fido*[55]).

---

53) Servius ad Virg. Georg. I, 11 hunc habet Varronis locum; Muellerus in emendando eum secutus est. Cf. not. Muelleri.

54) Curtius l. l. p. 262 de favendi etymo haec dicit: Möglich, dass auch *fav-e-o*, *faus-tu-s* (*fa-vos-tu-s*) einer früheren volksthümlichen Uebertragung auf geistige Verhältnisse entstammen, die in der poetischen Anwendung von *φάος*, *lumen*, im Sinne von Heil, *salus* ihr Analogon hat. Deutlich weist auch die Form *φέγγος* (für *φεγγF-ος*) auf *φάF-ος*, wozu sie sich wie *βένθ-ος* zu *βάθ-ος* verhält. — Secundum hanc etymologiam *faunus* esset *Ormusd* veterum Persarum.

55) Pan cur ita sit vocatus, Isidorus narrat Origg. VIII, 11, 81 sqq.: Pan dicunt Graeci, Silvanum Latini, deum rusticorum, quem in naturae similitudinem formaverunt; unde et Pan dictus est, id est omne. Fingunt enim eum ex universali elementorum specie. Habet enim cornua in similitudinem radiorum solis et lunae. Distinctam maculis habet pellem, propter coeli sidera. Rubet eius facies ad similitudinem aetheris. Fistulam septem calamorum gestat, propter harmoniam coeli, in qua sunt septem soni et septem discrimina vocum. Villosus est, quia tellus convestita est et agitata ventis. Pars eius inferior foeda est, propter arbores et feras et pecudes. Caprinas ungulas habet, ut soliditatem terrae ostendat, quem volunt rerum et totius naturae deum, unde Pan quasi omnia dicunt. — Aliter Hom. hymn. 19, 47: *Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον, ὅτι φρένα πᾶσιν ἔτερψεν.*

IV.

1. Libro V, 21 sq. Varro haec disputat:

21. Terra dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur; itaque terra in Augurum libris scripta cum R uno. Ab eo colonis locus communis qui prope oppidum relinquitur, territorium, quod maxime teritur; hinc linteum quod teritur corpore, extermentarium; hinc in messi tritura, quod tum frumentum teritur, et trivolum qui teritur: hinc fines agrorum termini, quod eae parteis propter limitare iter maxime teruntur; itaque hinc, quod is in Latio[56]) aliquot locis dicitur, ut apud Accium, non terminus sed termen, hinc Graeci quoque *τέρμονα*; pote vel illinc[57]); Euander enim, qui in Palatium venit, e Graecia Arcas. 22. Via sicut [58]) iter, quod ea vehendo teritur, iter itu; actus, quod agendo teritur; etiam ambitus est quod circumeundo teritur, nam ambitus circuitus, ab eoque XII Tabularum interpretes ambitus parietis circuitus esse describunt. Igitur tera terra, et ab eo poetae appellarunt summa terrae, quae sola teri possunt, sola terrae.

2. Ib. 138. Trapetes molae oleariae; vocant trapetes a terendo, nisi graecum est.

3. Lib. VII, 74. Triones boves appellantur a bubulcis etiam nunc maxume quom arant terram; e quis ut dicti *valentes glebarii* qui facile proscindunt glebas, sic

---

56) Muellerus coni. *hoc cum his (is) in latino (latio)* codd. *hoc cum in latino is* cod. a.

57) *hinc Graeci quoque τέρμονα; pote vel illinc* coni. Muell. — *hoc Graeci quod termona; pote vel illinc* un. cod.; in ceteris codd. plus minusve verborum deest. Cf. not. Muell.

58) *via sicut* coni. Muell. — *vias quidem, via siquidem, vita siquidem, via quidem* codd. — Muellerus lectioni suae officere dicit, quod non intelligatur, quid viae commune sit cum terendo, nam de vocabulis a terendo derivatis loqui Varronem. Sed Varro et actum, quod agendo, et ambitum, quod circumeundo teratur, appellatos dicit. Pape Lect. Varr. p. 56, 57 quomodo locum interpretetur, non satis se assequi dicit Muellerus; restare aliquid vitii. Idem *itu* edidit de sua coniectura; *iterum* codd. Cf. Varro V, 35: qua vehebant, viae dictae; qua ibant, ab itu iter appellarunt. — Edit. Bipont. locum sic exhibet: Via quidem iter, quod ea vehendo teritur: actus iter in agreis quod agendo teritur: etiam ambitus iter quod cet. — Legendum arbitror: *Et via sic videtur dicta, quod ea vehendo teritur; itaque (vel item) actus, quod agendo teritur; et ambitus ideo, quod* cet. Illud *et*, quod initio posui, colligo inde quod in edit. Bipont. sententia quae praecedit, verbo *fuit* concluditur, quod Muellerus nescio qua de causa omisit. Arctior enim cum antecedentibus coniunctio videtur desiderari, ut V, 23: Et quod terra cet. Cf. V, 69: Quae ideo quoque videtur ab Latinis Juno Lucina dicta. Vocabula *itaque, item, ideo* Varro saepissime ponit tali sententiarum nexu.

omnis qui terram arabant, a terra terriones, unde triones ut dicerentur E detrito.

Terendi verbum recte videtur Varroni etymon verborum *triticum*, *tritura*, *trivolus*, quorum vis id doceat; *terminus* graeco cognatum, *trapeti* origo mere graeca, *terrae* et *trionum* vocabula aliunde censeo explicanda.

tero.) Doederlinus l. l. p. 233 a radice TER (*τείρειν τρίβειν*) declinat *terere tardus taedium teredo termes turio torvus taeter protervus terminus trama trames trans tribula*. — Schwenckius germanicum *treten* cognatum dicit l. l. s. h. v. — Curtius l. l. p. 189 sq. *τερ* radicem statuit graecorum *τείρω τρύω τρίβω τρύχω τέρην τιτράω τετραίνω τερέω τέρετρον τόρος τορός τόρνος τορεύω τρῦμα* et latinorum *tero teres terebra tribula tribulare*, sabin. *terentum molle*, *Terentius*.

extermentarium.) Vocabulum inusitatum, quod alias non legitur, quamobrem et Forcellini in Lex. et Gessnerus in Thes. de eo tacent. Edit. Bipont.: termentarium. Cf. Lex. Forc., Thes. Gessn., Voss. Etymol. — Freundius in Lex. voc. extermentarium recepit, sed praeter hunc Varr. locum nihil affert.

triticum.) Cf. Isidor. Origg. XVII, 3, 4: Triticum vel a tritura dictum, quod purissimum horreo condatur, vel quia granum eius commoliatur et teratur. — Doederl. l. l. *triticum* der Waizen — davon Getraidig entlehnt. Perperam. Cf. Schwenckium, qui l. l. s. v. *Getraide* a *tragen* illud ducere originem docet, ut sit id quod terra fert, gignit. — Impositio vocabuli non caret analogia: simili modo in lingua germanica *Haeckesel* ab *hacken* declinatum, et vocabula *Gebackenes*, *Gefrorenes*, *Eingemachtes* vi peculiari dicuntur.

terminus.) Doederl. l. l.: *terminus* der Graenzstein — *τειρόμενος*; *termen* — *τέρμα*; *termo* — *τέρμων*. — Graeca vero vocabula latinis cognata radici primitivae aliam inesse vim ostendunt. Itaque Curtius, qui l. l. p. 189 coniungit latina *termo termen terminus intrare extrare trans* cum graecis *τέρμα τέρμων τέρθρον τέρμιος τερμιόεις*, vim eorum primitivam esse dicit germanici *ueberschreiten*. Qua in re non assentior, quum et *terminus* et *τέρμων* ab eadem stirpe mihi videantur esse profecta, unde graec. *τύρσις* lat. *turris* germ. *Thurm*. Cf. Schwenck. l. l. s. h. v. — Aliam longius petitam termini originem indicat Isidorus Origg. XV, 14, 3: Termini dicti, quod terrae mensuras distinguunt atque declarant. His enim testimonia finium intelliguntur, et agrorum intentio et certamen aufertur.

terra.) Errat Varro, qui terram, quod teratur[59]), in augurum libris cum R uno scriptam esse dicit. Nihil aliud nisi antiquior vocabuli *terra* scriptura est, quae quamvis

---

59) Hebraicum terrae nomen *eres* quidam, auctore Buxtorfio, ducunt a *razaz terere*. — Cf. Christ. Stockii clav. ling. sanct. vet. test. Lips. 1753 ed. sext. s. v. *eres*, ubi haec

universe ad veram vocabulorum originem investigandam atque inveniendam admodum sit apta, hoc in nomine Varronis sententiam non probat. Etenim Latini antiqui litteras in scribendo omnino non geminabant; quam consuetudinem Ennius fertur mutavisse, utpote Graecus graeco more usus. Accedit quod terra a terendo declinata id potius est quod terit, quam id quod teritur, quum nomina latina in a terminata et ab eis, quae verbis primitivis in praesenti tempore est forma, declinata actionis subiectum, quod dicimus, significare soleant, ut advena est is qui advenit, conviva is qui convivii particeps est, scriba is qui scribendi fungitur munere, lingua id quod lingit, arca quae arcet, alia. — Varronis etymon probatur ab Isidoro Origg. XIV, 1, 1: Terra dicta a superiori parte, qua teritur. — De mea sententia syllaba *ter* primitiva aridum et siccum videtur significare atque eadem esse, quae in verbo latino antiquo *torrus*, unde *torrere*, *torris*, in graeco *τέρσω* et in germanicis *duerr*, *doerren* est, ita ut terra aridum mari oppositum indicet. — Cf. Schmitthenn. et Schwenk. ll. ll. s. v. *Erde*. — Cf. Festi (P. D.) p. 153: *Torrum*, torridum, aridum; *torreri* a torro deductum proprie significat siccare atque arefacere, sed usurpatum est iam pro eo, quod sit igne urere. Id. p. 270: *Torrens* participaliter pro exurens ponitur, ut est apud Pacuvium in Antiopa: *Flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit*. Significat etiam fluvium, subitis imbribus concitatum, qui alioqui siccitatibus exarescit...... *Torum*, ut significet torridum, aridum, per unum quidem R antiqua consuetudine scribitur, sed quasi per duo R scribatur, pronuntiari oportet; nam antiqui nec mutas nec semivocales litteras geminabant ut fit in Ennio, Arrio, Annio. — Cf. Commentt. p. 725 s. vv. torrens, torum, torrere. — Cf. Isidori Origg. XIV, 1, 2: Proprie autem terra ad distinctionem aquae arida nuncupatur, sicut Scriptura (Genes. 1, 10) ait: *Quod vocaverit deus aridam terram*. Naturalis enim proprietas siccitas est terris. Id. Origg. XIII, 21, 2: Torrens est aqua veniens cum impetu. Dictus

---

quoque leguntur: Alii, Fagio perhibente, ducunt a *rus currere*, propter sphaericam illud corpus supernum, quod perpetuo cursu terram iugiter ambit. Alii, ut idem docet, descendere putant a *razah voluit*, concupivit, quod terra iugiter appetat fructum. Ast frustra in Hebraismo quaeri videtur radix verbalis, ratioque significationis plane latere cet. — Gesenius in thesaur. philol. crit. ling. hebr. et chald. vet. test. Lips. 1829 s. v. *eres* de etymo tacet. — Cf. Soph. Antig. v. 338 sqq.

θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν, Γᾶν
ἄφθιτον, ἀκαμάταν ἀποτρύεται
ἰλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος,
ἱππείῳ γένει πολεύων.

autem torrens, quia pluvia crescit, siccitate torrescit[60]), id est arescit; de quo Pacuvius: *Flammeo vapore torrens torret* (Vid. Fest. loc.). Cui Graeci nomen ab hieme dederunt, nos ab aestate: illi a tempore, quo succrescit, nos a tempore, quo siccatur. — Cf. Schmitthenn. l. l. s. v. *trocken* not.; Schwenck l. l. s. v. *duerr* et *trocken*. — Doederl. l. l. *terra* die Erde — von *τέρσω torrere, doerren*. — Curtius p. 190 sq. ad radicem *τ ε ρ σ* graeca *τέρσομαι τερσαίνω τρασιά (ταρσιά) ταρσός* et latina *torreo tostus tostare torris torrens* refert. Ibid. dicit: P o t t vergleicht auch *terra*, was dann ursprünglich nur Gegensatz zu *mare* gewesen waere, *tes-ta* (vgl. *lateres coctiles*) und *tesqu-a* Einöde.

Quae Varro de locutione *sola terrae* disputat, quum interpretationem poeticam potius quam explicationem etymologicam contineant, ad eius originem exponendam nibil valent. Nam prima adiectivi *solus* syllaba producitur, substantivi *solum* autem corripitur. Ideo Turnebus iam emendavit: *summa terrae quae s o l o teri possunt* i. e. pede et vestigio. Scaliger eidem favet scripturae, memorans Lucretii illud:

---

60) Prope oppidum nobis vicinum *Stromberg* rivuli cuiusdam (et pagi in summo monte prope eum siti) nomen *ὀξύμωρον* est *Doerrebach*, i. e. rivus siccus. Qui quum in iugo saltus, quem *Soonwald* vocant, nascens cursu nondum peracto et alveo superno relicto desidat et per montis calcarii cava occulta fluat, neque prius denuo appareat, quam in ipsum rivum praeterfluentem, qui *Guldenbach* dicitur, angustum per os influat; infima alvei superni pars per plurimum aestatis tempus sicca est; itaque iure t o r r e n t i s nomen inde traxit. Imbribus idem et pluvia auctus vel nive turgidus hiberna magno cum impetu ac strepitu de monte decurrens etiam alveum supernum prorsus implet et per alterum latius os in rivum illum immittitur. Cf. *Maur. Axtii* carm. Crucen. 1856 p. 238 sq.:

Dorthin, wo die Silberwelle
Des grünumbordeten Baches*)
Sich schalkisch versteckt
Hinter der Mutter Erde
Blumengesticktes Festgewand
Und vor dem wettertrotzenden, hochragenden Thurm
Der gastlichen Burg
Des grauen Fust**)
Sein blondes Köpfchen wieder vorstreckt.

---

*) Der versinkende und wieder erscheinende D ö r r e b a c h.
**) Ruine F u s t e n b u r g bei Stromberg.

> **Avia Pieridum peragro loca, nullius ante**
> **Trita solo**

et Plauti:

> **Qui aure habet suppactum solum:**

Quamvis Turnebi emendationi suffragetur syllabae primae *so* mensio, tamen nihilo rectius locutionis illius origo explicatur. Veram vocabuli *solum* potestatem docere mihi videtur Festus (P. D.) p. 169: Solum lingua Oscorum significat totum et solidum. Unde tela quaedam solIferrea vocantur tota ferrea, et homo bonarum artium sollers, et quae nulla parte laxata cavaque, solida nominantur. — Graecorum *ὅλος* cognatum arbitror; **spiritus asper in S abiit, ut *ἅλλομαι* salio, *ἅλς* sal, *ἑ* se, *ἕξ* sex, *ὑπέρ* super, *ὁλκός* sulcus, alia multa. — Curtius l. l. p. 206 persuasum habet, *solum* (et *solea*) a radice *sd* quae in graecis *ὁδός οὐδός οὖδας ἔδαφος* sit, declinandum esse. Haec dicit: Damit (sc. *ὁδός* al.) stimmt *solum* so sehr uebereín, dass wir es nicht trennen koennen, mit *l* wie** in *solium* (No. 280), mag dies nun durch Assimilation aus *dl* oder direct aus *d* entstanden sein. Auch *solea* Sohle muessen wir hierher stellen, da solum ebenfalls schon Sohle bedeutet. Vgl. No. 550. — Et *solea* et *solum*, quum vi germanici *Sohle* ponitur, graeco *ὑλία*, cuius vis eadem est, cognata opinor. — Cf. Schwenck. l. l. s. v. *Sohle*.

triones.) Varronis etymon sequitur Festus p. 260. Septentriones septem stellae appellantur a septem bobus iunctis, quos triones a terra rustici appellant, quod iuncti simul terram arent, quasi terriones. — Isidorus Origg. XII, 1, 30 aliter atque Varro bovem a Latinis trionem esse vocatum dicit eo quod terram terat, quasi terionem. Sed cur boves praeter cetera animalia, quae terram terunt, praegnanter ita vocati sint, non intelligo. — Varronis etymon quum omni careat analogia, reiiciendum arbitror. Scaliger Naevii locum: *trionum hic moderator rusticus* commemorans triones prius striones esse dictos putat a stria, quam proscindendo sulcos faciant. Addit, et ipsum Varronem sic in striam sulcos imprimi iubere, sic Plinium quoque vetare in arando saepius striare, id est saepius iterare striam, quamquam melius alii apud Plinium legant *strigare*. Ab eo ergo striones dictos: ut in *tiruvius* et similibus S, quae adventitia esset, sic in strione, quae nativa esset, periisse. Quae viri doctissimi sententia, quum analogia videatur probari (a striando enim striones, ut ab errando errones, a bibendo bibones dicti esse possunt), Varronianae esset anteponenda, nisi S illa nativa, quam reliqua huius originis vocabula omnia servaverunt, obstaret. Propterea aliud duplex mihi placet proponere trionum etymon. Varro boves dicit appellari triones etiam ipsius aetate a bubulcis maxime quum arent terram; unde colligere licet trionum vocabulum verbo trahendi esse cognatum, quum boves inter arandum trahant aratrum (*ἀροτριῶντες*), ita ut sint trahentes (trahiones) praegnanter dicti, simili modo ut in lingua germanica equi

cursu certantes *Renner* et canes latrando molesti *Klaeffer* (latrantes cf. Ov. Met. VIII, 411) dicuntur. Sed quum eadem impositio etiam equis conveniret currum vehentibus, trionum voc. graeco *τρύω*, unde *τιτρύω* et *τετραίνω*, cognatum esse eo libentius statuo, quod boves proscindere terram aratro atque vulnera terrae infligere saepissime legitur, praecipue apud poetas. Cf. Ov. Met. II, 286: adunci (al.: curvi) vulnera aratri Rastrorumque fero totoque exerceor anno. Tibull. I, 7, 29: Primus aratra manu sollerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitavit humum. Id. IV, 1, 173: Et ferro tellus, pontus confinditur aere. Ov. art. am. II, 671: Aut mare remigiis aut vomere findite terras. Id. Met. I, 101: Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis Saucia vomeribus (al.: vulneribus) per se dabat omnia tellus. — Senec. Octav. v. 413: vulnere immunem prius sulcare terram. — Virg. Ge. I, 98: Perrumpere terram aratro. — Lucr. V, 210: Pressis terram proscindere aratris.

Addenda

Impresso iam fere libello, Ger. Ioan. Vossii Etymologicum ling. lat. (Oper. omn. tom. I. Amstelod. 1701.) mihi licuit perlegere. Itaque hanc de etymis, quae sum commentatus, epitomen inde conscripsi.

I.

Mentem declinat Isidorus vel a meminisse vel ab eminendo; Nicolaus Casanus a metiendo; quidam a *μήνη*, quia, ut luna crescit atque decrescit, sic hominum mentes variis modis hebescant atque augeantur; Scaliger non a motu, sed a *μηνύω* i. e. indico, quia sit indicatrix rationum, et mentum indidem, quia eo pueri demonstrent, uti et muti et qui aliis rebus intenti sint, neque libenter edant vocem; Nunnesius a *μάντις*. Quorum nullum verum putat Vossius, quia pleraque omnia inepta et stulta. Dictam censet a graeco *μένος*. — mendicus (s. v. menda) a menda vel mendum, quae a *μείων*, vel latino minus; praeter etyma nota etiam Nunnesii a *μάντις* commemoratur. — meno cf. vocc. commentum, mentum, mentior. — memor a memini; indidem moneo. — monstrum a monendo, ut a luo lustrum, plaudo plaustrum, rado rastrum, alia; a voc. monstrum est declinatum monstrare, non contra. — disco a *διδάσκω* sive a *διδάσκομαι*. — doceo a *δοκέω*.

II.

lego a *λέγω*. — legumina a legendo, indidem legio. — lex dicta, quia legi soleat, quo omnibus innotescat. — ligna a lego, quia in agro caduca legerentur

(Isaac Vossius: vel potius a l i g a n d o, ut sint ξύλα δεδαρμένα). — l e c t u s a graeco λέκτρον, quod a λέγω i. e. cubo. Hesychius: λέξασθαι, ἐκλέξεσθαι, κοιμηθῆναι. Ἔλεξεν, κατέκλινεν. — l e c t i c a a l e c t u s. — l o c u s a λέγομαι, unde λέχος, alia. De forma s t l o c u s cf. voc. lis.

III.

f a r i a φάω, unde φημί. i n f a n s, ut Graeci νήπιος dicunt, a νη et ἔπειν. f a c u n d u s a f a t u m, ut a iutum iucundus. — f a c i o fortasse a φάω i. e. λάμπω, luceo, vel ab aliquo eius derivato. — f a b u l a a f a n d o. — f a m a a dorico φάμα pro φήμη. — f a t u m a f a n d o, quod Deus fatus est. — f a s indidem, quasi fatum a Diis vel sacerdotibus. Cf. voc. n e f a r i u s. — f a n u m cf. quae p. 19 s. h. v. disputavi. — f a t u i a f a n d o, quia inepta multa fari soleant. Praeterea a vero abludere negat, f a t u u s esse ab Hebraeo *pethi* i. e. stultus, simplex, ut velint Angelus Caninius et Theodorus Beza. — f a t e r i non tam a f a t u s seu f a r i, quam a φατός, quod a φάω seu φημί. — f a l l e r e a σφάλλω vel a dorico φαλῶ. — f a u n u s (s. v. faustus) a graeco φαύειν i. e. fari, vel a Πάν.

IV.

t e r o a τερέω i. e. perforo. — t e r r a m Varro quidem appellatam dicit, quod t e r a t u r; Caelius Calcagninus, quod perenni excursu caetera t e r a t elementa; Scaliger in Coniectt. a δαῖρα, quod contractum ex δάειρα, ut sit Proserpina; Vossius potius ab τείρω h. e. ξηραίνω, sicco, ob eius siccitatem (Hesychius: τέρσεται, ξηραίνεται ὑπὸ ἡλίου), vel ab hebraeo *erez*, unde etiam germanicum *erd*; ab ἔρα esse *terra*, ut ab ἀκέω *taceo*. — t e r r i t o r i u m a t e r r a; alii a t e r e n d o. — t e r m i n u s a graeco τέρμων, τέρμονος. — t e r m e n t a r i u m a t e r e n d o. — t r i t i c u m (s. v. tero) indidem κατ' ἐξοχήν; item t r i t u r a; ab eodem t r i b u l u m, non a t r i b u s l a t e r i b u s, ut putet Calepinus. — t r i o n e s (s. v. septemtrio) quasi t e r i o n e s, vel t e r r i o n e s, vel s t r i o n e s.

---

p. 4. not. 6 loco Roeder pone R o e d i g e r.

p. 5 sq. m e n d i c u s. Cf. Varr. V, 92: Mendicus a minus, quoi quo opus est minus nihilo est.

p. 10. v i n d e m i a t o r. Cf. Varr. V, 37: Vitis a vino, id a vi; hinc vindemia, quod est vinidemia aut vitidemia.

p. 11. l e g i o. Cf. Varr. V, 87. Legio, quod leguntur milites in delectu. — Ibid.: L e g a t i,

qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus, quive nuntii senatus aut populi essent.

p. 14. v. 2. In Codice Gothano, cuius variantem scripturam Muellerus p. 270 sqq. excerpsit, haec leguntur: *praecium inlocarium*. Itaque loco *inde* fortasse legendum *hinc*, quo Varro saepissime utitur. Scripturae *praecium* memineris cum iis quae not. 38 dixi. — Ceterum alteram priorem loci illius emendationem meam rectam esse censeo.

p. 16. v. 19. post voc. effari exciderunt verba effata, affari.

p. 18. v. 3.: a versibus viendis. Cf. Varr. V, 62. vieri est vinciri, a quo est in Sota Ennii:

Ibant malaci (al. malam) viere Veneriam corollam.

Idem de re rust. I, 23 med.: Sic alia et alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates.

Loci Varronis vel emendati vel explicati.

